

dum et successorum meorum attentius commendo intentissime rogans, ut quemadmodum ego meis diebus eos debita sollicitudine fovere non destiti ita quoque heredes et successores mei intuitu paternae dilectionis et ob amorem divinae remunerationis benigno et clementi patrocinio locum ipsum gubernare et strennue defensare contendant, nihil praeter orationes ab eis exigentes. Hoc quoque indissolubili perpetuitatis lege heredibus et successoribus meis servandum instituo, ut quicumque principalis huius ecclesiae advocatus fuerit nulli umquam hominum advocatiam in ius beneficiale concedat. Ut igitur haec omnia rata et inconvulsa persistent praesenti scripto et sigilli mei impressione confirmavi et autoritate domini mei Theoderici venerabilis episcopi Merseburgensis sub interpositione anathematis communiri impetravi. Testes quoque, qui haec viderunt et audierunt, subscribi feci, quorum haec sunt nomina: Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Engelhardus Nuenburgensis episcopus, Bruno Misnensis episcopus, Theodericus Merseburgensis episcopus, Sifridus Pigaugensis abbas, Albertus Pozovgensis abbas, Theodericus praepositus Sereni montis, Poppo Hallensis praepositus, Rodolfus beati Mauricii in Hallo praepositus, Bertramus Worcinensis praepositus, Hermannus Turingiae langravius, Fridericus comes de Brene, Burchardus comes de Mansvelt, Burchardus castellanus in Magdeburg, Heinricus de Sevdiz advocatus, Albertus de Droviz, Heinricus castellanus de Donin et filius eius Otto, Meinerus castellanus de Misne, Erkenboldus de Grisslawe, Hartmannus de Louedebure, Heinricus de Warin, Otto de Leichtenhagen, Albertus de Porta, Heinricus de Kamburch, Albertus dapifer, Heinricus marscalcus, Conradus camerarius, Conradus pincerna, Sifridus villicus, Heinricus scultheitus in Lipz. Acta sunt haec anno dominicae incarnationis millesimo CC^o.XIII^o. indictione I^a.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig. Von dem an rothseidenen Fäden befestigt gewesenen Siegel sind nur noch einige Reste vorhanden.

Vogel Leipz. Chronik S. 134. — Schöttgen u. Kreysig diplomat. Nachl. I. S. 40.

No. 3. (1213.)

Markgraf Dietrich ertheilt dem Kloster das Recht der freien Probstwahl.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Ego Theodericus Misnensis et Orientalis marchio omnibus in perpetuum. Statuta mortalium oblivionis rubigine procul dubio denigrantur, nisi testimoniis scripturarum accuratissime commendata posteris nationibus ad memoriam revocentur. Inde est quod universis Christi fidelibus notum esse volumus et perpetuae memoriae commendatum, quod ecclesiam beati Thomae in Lipze, quam de prudentum virorum consilio ad ordinem beati Augustini regularibus canonicis informandam commisimus, tanta volumus libertate florere, ut eiusdem loci confratres super electione praepositorum liberam habeant auctoritatem et hanc iure perpetuo attestazione praesentium possideant libertatem. Ne autem super his aut liberalitati nostrae aut ecclesiae iam dictae aliquid adversitatis in posterum occurrat vel molestiae, privilegiorum armis contra adversantium insidias accingi decrevimus hanc paginam conscribentes et sigilli nostri munimine roborantes. Testium